



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

Tonderentur. In tonsione ouuum celebrata cō
uiuia & historia Iudæ docet, Gen. 38.

Obseruate.] Stupra & adulteria grauitè puni-
ta esse, historiæ sacræ passim habent, satis fuerit uel dī
luuium intueri uel Sodomorum interitum.

Omnes filios.

Hoc uulnus oportuit sustinere Dauidē in corde, quod
filijs non erat inflictum. Agnouit hic Dauid sententē
am cōtra se dei, nec omittit persequi homicidam quē
lege occidere debuit.

Ionadab.] Ista prudentia iam adulatur regi, nec
uult uideri se fuisse à consilijs in scelere Amnon.

Gessur.] In Syria gentium est.

Consolatus] temporis scilicet longitudine.

CATVT XIII.

Vides q̄ filij huius seculi prudentiores
sunt filijs lucis in generatione sua. Ioab
prudenti certe consilio cōciliat Absalo-
nem patri, bene uolēs Absaloni, nec mi-
nus consulere in hoc uolens Dauidi, & simul apud
utrūq; inire gratiā, dū patri filiū, & hunc illi reddit.
Atq; pro Dauidē hoc eū uoluisse sequens historia de-
clarat, ubi Absalonē à crine pēdentē hasta transfodit.
Verum q̄ male istud consilium cessit, ita ferè cedūt oīa

impiorum consilia, non enim, quemadmodum scriptura dicit, os domini interrogant, non committunt deo ex animo causam, sed quod eis consultum uidetur hoc agrediuntur, ut faciant quod manus & consilium domini decreuerunt, non quod ipsi statuerunt, ut scribitur Act. 4. In agro, q. d. In ciuitate forte ab alijs prohibiti fuissent, & præterea nullus testis adsuit qui possit testificari secundum legem, q. frater mortuus non intulerit uim huic uiuenti, uidetur defendisse uitam & mori non debet etc.

Hæredem, ut & ego peream dum post uirum etiam filij omnes ceciderint, Imò ut etiã defuncti mariti nomen pereat, dum non est filius qui suscitet post eum semen, id quod tunc miserandum erat nimis secundum legem, ut etiam fratrem superstitem oportuerit suscitare semen fratri defuncto ex defuncti uxore, Et de reprobis dicitur. In generatione una deleatur nomen eius etc. [In me sit iniquitas,] id est, ego sciam coram deo peccatum, non rex, si quid hic in legem peccatur ignoscendo. Charitas enim dispensare solet, maxime cum sit dubium an peccarit occisor.

Viuit.] Hucusq; urget regem ut extorqueat hoc iuramentum ex compassione & charitate in uiduam iuratum, quo fortius teneat regem.

Quare.] Ad rem accedit post personatum luctum etc.
Omnes morimur.

Enome, qua ostendit non opus esse ut queratur homines ad mortem, qui sua sponte pereunt, & praeterea non agendum lege post longam poenitentiam, quando & deus poenitentes suscipit & in aeternum non abijcit &c.

Et audiuit.

Diligenter inculcat regem pronunciaffe, ne retractet sententiam.

Dixit, id est, sic cogitauit & desiderauit coram deo, ut placidum fieret regis responsum, quemadmodum sacrificium gratum deo in odore, ut lex dicit, suauitatis, quia sicut ad uultum angeli trepidabam ad te accedere, quemadmodum & Iacob ad Esau dixit.

Vt haec.] qui & bona & mala libenter soles audire ut iudices. Inustus est iudex qui solum uult audire placentia. Facile uides ex his uerbis quam prudens mulier fuerit.

Manus] id est, consilium & adiutorium. Sensit enim id quod res erat.

Per salutem.

Id est, per uitam & felicitatem tuam o rex. Homines per maiorem se iurant, ut dicit epist. ad Heb.

Nec ad] Id est, quod dicunt, Acu rem tetigisti.

Hodie intellexit.

Sperabat hanc gratiam perpetuam fore & non iam amplius regem recordaturum iniquitatis eius, sed frustra &c.

Faciem meam.

Ne uideretur Dauid approbare quod fecerat Absolon.

Porro.] Delectatur scriptura ista scribere, ut ubique

nobis prodat hypocrisim humanã. Coram hominibus nihil est quod reprehendi possit in Absolone, ut nec in Saule uel Ioab. quæ tamen impietas ista specie tegitur sequentia declarant. Et penè miraculum pulchritudinis describitur in crinibus, quæ est fragilissima & uanissima hominis pars imò ne pars quidem, ut uideas aptissime hypocrisim in re uana & nihili gloriari, atq; adeo quæ non solū non iuuat sed etiam perdit animas, quemadmodū infra legis Absolonem à crine pendere, & gloriam eius uersam in confusionem & mortem. Quid hic profuit ista gloria pulchritudinis quæ antea tanti ponderis erat? nonne caluicium melius fuisset? Itaq; adagio usurpemus, ut quicquid gloriæ quicquid sancte speciei in carne uiderimus, id est, omnem hypocrisim & in quo confidunt homines, uocemus, crinem Absolonis &c.

Diuersum autē est quod de Samsonē legis. Is enim in crinibus habet fortitudinem, sed hæc non erat mundo conspicua, quia dei erat, cuius uirtus in infirmitate sanctorum latet &c.

Nati. Patrem pulchritudine carnis reserebant filij, sed de quibus nihil postea legis. Perijt enim filiorum gloria cum gloria patris, quemadmodū hypocritarum regno fieri solet.

Noluit.] Forte quia uidit regem abstinere à conspectu Absolonis.

Scitis agrum.

Astutum hoc est Absalonis factum, ut uel damno cogat amicum uenire &c.

Quod si memor.

Mentitur prudentia carnis, ut ista rhetoricatione persuadeat Dauidi ut in gratiam recipiat, quo liberius postea suae seruiat ambitioni &c.

CAPVT XV.

Sicut per Saulē, qui beneficia Dauid senserat, agitur ne Dauid fiat rex, ita per Absalonem proprium filium agitur ne maneat rex. Et utraq; insania non uidet sibi negocium esse potius cū deo quā cum Dauide, Deus enim uult hunc esse regem, illi nolūt, alter ne amittat, alter ne nō occupet regnū. Non mirum ergo si pereūt, dei enī uolūtati quis resistet? secundū illud psal. Dominus dissipat cōsilia principū &c. Promissio dei est, Firmabo regnum tuum in eternū, Et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. Sed crux interim erat ferenda, quam cōminatus erat, Suscitabo, inquiēs, tibi malitiam de domo tua. Vt fides qua credebat promissioni dei probaretur. Quid enim hic non patiebatur fides illa, dū sic quicquid promissum est una hora simul auferrē uidebatur? Dominus igitur est qui deducit ad infros & reducit, ad desperationem adigit & glorificat.